Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 495
Quelle:
Copyright:

ſtans in *Synodo* quadam, ut videtur, poſt Seculum V. edita. Incipit a myſterio Trinitatis: *Credimus vnum Deum eſſe patrem et filium et ſpiritum ſanctum* &c. et definit in *Articulum* ſequentem: *Propter nouellos legislatores qui a deo animam tantum ad ymaginem dei creatam dicunt vt quia deus incorporeus recte creditur eciam anima incorporea eſſe credatur, libere confitemur, ymaginem in eternitate, ſimilitudinem in moribus inveniri.* Adjectum minio: *Et ſic eſt finis. Explicit diffinicio eccleſiaſtica.* Haeretici, qui per decurſum paſſim notantur, ſunt *Arius, Neſtorius, Hebion, Aetius, Photinus, Anthropomorphitae, Bonoſiani, Jovinianus,* alii.

X. *fol.* 318. rubro: *Tractatus de modo predicandi.* Incipit: *De modo predicandi dicturus Notabilia ſex premitto. Primum eſt quid ſit predicatio. 2m predicationis commendacio. 3m quas cauſas habeat predicacio. 4m quis habeat predicare. 5m qualis debeat predicator eſſe. 6m Vbi et quando predicator debeat predicare.* Expeditis his ſequuntur practica de aſſumptione thematis, diviſione, argumentis, amplificatione &c. Ultima ſunt de cautelis oratoris et Peroratione, quae ſic finiunt: *ut refici mereamur cena ſpirituali in preſenti et eternali in futuro. Quod nobis concedat pater* &c. Adjectum bohemice minio: *Pomoz pane myly boyze.* i. e. *Adjuva Domine* care *Deus.* Quod, ſi non autorem, ſaltem Librarium ejus Nationis prodit. Libellus non parum cum eo congruit, quem *Thomae Aquinati* tributum typis dedit *Fridericus Creuſſner Norimb.* 1473. f. quin ejus exemplis paſſim utitur.

XI. *fol.* 351. Sermo Anonymus de *Dedicatione Templi* in illud Pſ. 47. *Deus in domibus ejus cognoſcetur, cum ſuſcipiet eam.* Initium: *Nos videmus, quod quando paterfamilias reuertitur ad domum ſuam* &c. Finis: *ut nunquam ab eo ſeparari ualeamus.*

CLXXX. VII B. 9

Codex membraneus lat. Sec. 86
XIV. Folior. 57. f. per duas columnas litera minutiore exaratus, fronte auro coloribusque florulenta continet *Johannis Calderini* celebris JCti Bononienſis Sec. XIV. *Tabulam dictionum Biblicarum in Decreto Gratiani et Decretalibus adductarum* ordine Alphabeti diſpoſitam hoc ingreſſu: *Seriem huius tabule. continentes. auctoritates. et ſententias biblie. prout in compilationibus. decretorum et decretalium inducuntur inſinuat. dictionum diſpoſitio regulata ordine alphabeti* &c. Et paullo poſt, ſi quis defectus obſervatus fuerit: *Ego Johannes Calderini minimus decretorum doctor huius opuſculi fabricator illos ſuppleri precor. ordine prelibato.* Tabula ipſa incipit: *A a a Require loqui. d.* et finit in voce *Zizania*, cui haec ſubjicitur clauſula: *Explicit tabula auctoritatum et ſententiarum biblie inductarum in compilationibus decretorum et decretalium quottarum.*